

PANDORA


USU MALO CO-  
MITE

IN SCENAM PRODUCTA

Coram

ILL.<sup>mo</sup> ET REV.<sup>mo</sup> PRIN-


CIPE AC DOMINO,


D. PARIDE ARCHIEPISCO-  
PO SALISBURGENSI,UNIVERSITATIS FUN-  
DATORE.

A

PP. PROFESSORIBUS ORDINIS  
S. BENEDICTI.

Die Mensis Novembris.

Salisburgi, Typis Christophori Katzenbergeri, Typographi  
Academici. Anno M. DC. XXVII.




# P E R S O N Æ.

Tellus.		Pandora.
Thetis.		Valetudo.
Neptunus.		Scientia.
Vulcanus.		Plutus.
Steropes.	} Fabri.	Curiositas.
Brontes.		Luxus.
Pyracmon.		Morbus.
Cyclops.		Vanitas.
Deucalion.		Dorus.
Plinthus.	} Servi.	Dromus.
Pyrita.		Paupertas.
Diabroche.	} Nubes.	Euclio.
Hygra.		Colaphus.
Nephele.		Doxophanes.
Plane.		Acolast <sup>9</sup> . Fili <sup>9</sup> Euclionis.
Ombrophora.		Afotus. Fili <sup>9</sup> Doxophanis
Pachne.		Hercules.
Mercurius.		Jupiter.
Bacchus.		Iuno.
Philoenus.		Servus.



## Lectōri Salutem.


**S**ic ea, quae Fortuna homini suppeditat, suo pretio aestimarentur, neq̄ ad usum à Numinis imperio diversum praepostere converterentur, maxima profecto calamitatum humanarum sentina exhausta foret. Enimvero dum sua quemq̄ trahit voluptas, & Geniū quilibet suo aut nimium credit, aut plus aequo indulget, usu quotidie venit, ut animus humanus vario rerum appetitu & aegritudine, seu quibusdam Nebulis ac Nubibus diversim circumactus, demum fallaci ex poculo, pro melle fel, propriam in perniciem, delibasse, suaq̄ praesidia in Nubibus collocasse, misere lamentetur. Imo vero (pro hominum fide!) quod deterius est, causam adversorum casuum non in Malum rerum Usum, sed ipsam Naturam eiusq̄ Authorem, per summam injuriam reiciat. Quod si tam secundae, quam adversae Fortune seu blanditiae seu diritatis Bono-Usui arcto nexu jungerent mortales, atq̄ huius ad nutum omnia sua moderarentur, haberent sane utrobique, quod ad Virtutem praecclare converterent; nimirum in secundis, Temperantiae, in adversis, Fortitudinis ar-



gumenta, quibus utramq; Fortunam triumphare, letoq; isthoc  
Epinicio tandem ovare possent:

*Sapiens pol ipse fingit Fortunam sibi.*


*Hæc te, Lector amice, monitum voluit Poeta, ut quam  
Metam peteret, ne nescires. Vale.*



## Prologium.

**T**ellus ingurgitata undis, Thetidem de injuria  
postulat. Solum Salumque ex æquo tribuisse  
Jovem; atqui Sororem extra chorum saltare, reg-  
num alienum ambire: imò non ambire, sed ani-  
mosis aquarum montibus adversam venisse jam,  
occupasse; tenere. Quæstibus intercedit The-  
tis, ad dextram contingendam invitat, frustra est,  
donec Tellus imperio natare se Jovis edocta, ul-  
trò dat manus. Commodum Neptunus à Nubib.  
certior factus, Telluri Regnum restitutum iri, lu-  
ctu abjectam lætissimo nuntio erigit. Hinc itur  
laudes Jovis.

Actus



# Actus primus.

## SCENA I.

Vulcano negotium datur, novam ut Pandoram machinetur. Hæc ubi ad unguem expolita est, herus ilicet operis receptui canit. Vivo tum flumine loturus Æthiopem, festivos ludos servis facit.

---

### *Chorus Fabrorum.*

Fabri se metiuntur pede Vulcani, plus quam ineptè claudicantis, & serviut in herum vitia impensè sint oculi, commonstrant.

## SCENA III.

Cùm in vino sit veritas, Deucalion incertus Oraculi a Nubibus allati, cyathum examinât, verumq; sensum ibidem investigat. Reperit, claudû sibi Vulcanum sequendum, Pandoram consequi si velit. Nil igitur antiquius habet senex, quam ut  
pone

pone claudum Vulcanum, claudus inambul-  
let.

*SCENA IV.*

Leporum turbam effundit Plinthus, & mor-  
tales ridiculè nugas agere, usq; dum ferò agant a-  
nimu m. Itper omnes in orbem, admordet singu-  
los.

*SCENA V.*

Vulcanus in antro Deucalionem occupat.  
Claudicantia vestigia furtim componentem, an-  
tro exigit, ratus seni se pro deridiculo & oblecta-  
mento esse. Jctus ille minis, ita periculum evade-  
re contendit, ut imprudenti, pallium, Pandoraæ  
terris excedenti subductum, elabatur.

*Chorus Nubium.*

Nubes se sensim ab æquore attollunt; quib;  
studiis hominum genus capiant, odario expo-  
nunt.

**Actus**



## Actus secundus.

### SCENA I.

Mercurius dum toto vagatur cœlo, casu in Nubes, terram prementes, incidit. Laudibus deinde gravis, cœlo deruit.


### SCENA II.

Demiratur Mercurius ab equo Nubes, ad asinum descendisse, æthera nimirum, lutosam cum terra commutasse. Rarum insanix specimen, à Deucalione nuper editum, recensent Deo.

### SCENA III.

Deucalionem jam sesqui-asinum factum verborum tenus dilaudant Nubes. Seni præ gaudio cadunt lacrumæ. Abit, rectaque claudicat tibiâ, ex oraculi religione. Palàm facit Plinthus, fortunæ quemlibet poenitere suæ.

### SCENA



## SCENA IV.

Deucalion magnam rem putat Nubes. Prolixè Plinthi everberat animum, ut in eadem inclinet. Quod Nubes mulierum facie in scenam se agant, diversas miscent causas.

## SCENA V.

Deucalion, qui jam spe Pandoram devoraverat, videt nec dum primoribus se labris Deam attigisse. Per multas oppidò ambages Nephelococcygiam iter capit, postquam vota proitu ac reditu concepit.


*Chorus Nubium*

Ut felicitas hominum unica sit virtus, omnes tamen quotquot hunc Orbem colant, Fortunam colere.

## Actus Tertius.

## SCENA I.

Bacchus imperio Magni Iovis profectionem  
Vulcani





Vulcani in antrum suscipit, allatum Pandoram. Sed à via non indiligenter exerrat. Ut verò isthòc itinere aliquid præclari gereret, cum Philœno vitra inspicit.

*SCENA II.*


Dum statur, & trahitur mora è poculis, appellatur à Mercurio Bacchus, discit Pandoram à Vulcano supremam accepisse jam pridem manū, insuper divinæ verbere Virgæ animatam.

*SCENA III.*

Pandora cum Baccho consilium capit, qui centones faciat mortalibus, & doctis præsertim, offundat Nebulas. Bacchus ultrò hanc deposcit provinciam. Equidem non ullum eò usq; doctū esse, Vrnā græcam declinare ut queat. Pandora igitur sua emittit Dona; ubiq; adest Malus-Usus, & stipendia facit.

*SCENA IV.*

Deucalion, cui Nubes multis verbis præive-  
B. rant



Tant viam Nephelococcygiam, anhelus redit. Cucurbitas bilibres cano capiti fuisse impositas videt, stomachatur; exhalat demum Nubes, quibus pro joco diu fuit. Cæterum non denihilo à cuculis salutaris se ominatur, fingit hinc fortunam sibi.


SCENA V.


Pandora in theatrum se producit. In fugam se agit Deucalion, non immemor Fortunam fugientes sequi. Monetur à servo, fugam absolvat, Fortunam sponte obviam, amplectèdam. Servus præ auro id à Pandora impetrare gessit, herou tà suo feratur.

*Chorus Nubium.*

Nubes non tam pro suo Genio, quam Poetæ imperio, suadent mortalibus, caduca bona nescientur longius, si cadere nolint.

Actus





# Actus Quartus.

## SCENA I.

Eucio, beneficio Pandoræ modò aureus, ludit par impar aureis nummis. Certum indicit diem aranæis, quo hospitio migrent. A capite ad calcem à servo proscinditur.

## SCENA II.


Doxophanes fortè Fortunâ factus nobilis, cornua fuit. Dorus & Dromus in se incidunt, heri uterq; sui mores, facta, velut è plaustro exponunt. Miratur Dorus, Doxophanem primulum supra vulgus sublatum, à se priore sexcentis distare milliaribus. Linguam iteratò in præparcum senem intendit. Discit à Dromo, ex tempore facere nequiter, & servire Genio cujuscunq; heri.

## SCENA III.

Postquam Pandora montes intulit aureos,

B. 2

Eucio



Euclio Paupertatem exesse jubet ædibus. Restitat Paupertas, nec quidem rude donata inde vult facessere. Merita sua nominatim commemorat. Sed ut dubiam stationem certis sibi verberibus stare sentit, evanescit.

*SCENA IV.*

Dorus hoc facinus Euclionis improbat, probat Dromus. Euclio clamores exaudit, advolat, servum alienum domi suæ depræhendit, exigit, nimirum ne unum ex tanto numero, amittat philippum. Hoc hoste in fugam verso, senex in juventutem invadit, quam canere etiam dum rem suam perdit, fermè rumpitur indignatione. Cum tibus imparibus effundenti se juventuti Euclio terga dat.

*SCENA V.*

Ubi primùm vertigo aliò rapuit juvenes, postliminiò se sistit Euclio, in gnati laboribus literariis, suisq; pecuniis enumerandis totus est. Assentatur Dorus coram, in dolem magnoperè demiratur; laudat; sed hero digresso, qui gnati opes apud patrem malè feriatas, Athenis dilapidet, festivè recenset.

*SCENA VI.*


Colaphus in ora hominum pro nobili abire gestit,



gestit, à Doro tenetur auribus. Doxophnes in Nomenclaturam Nobilium recēs à Pandora relatus, satis se pro dignitate laudari non posse, autumat.

*Chorus Nubium.*

Proscenium hujus Mundi proponit, in quo Fabulæ graves levēsq; pariter agantur.



## Actus Quintus.

### SCENA I.

Plinthus infestat omnes, quotquot Curiositati operantur, & nugas curant studio maximo. Vehementius tamen plectit Mathematicos, quos si conventos velis, ut plurimum in regione tertia sint Nukium. Hujus autem plebis Tribunum Deucalionem creat.

### SCENA II.

Deucalion ut alta facilius videre possit, calathum inscendit, à terra se abducit. In aëre dum hæret, ejusmodi subtilitates serit, unde Plinthus legat messem lepidissimam. Animadvertit ipse demde Senex, à Jove se vel ceu pilam, vel ceu stultum haberi. Iniquissimo fert animo, sed se reprimit.



## SCENA III.

Dum Euclio magnas res à filio Athenis genitum existimat, venit pinguis Epicuri de grege porcus, æris plenus, sed alieni. Ac quidem sua nomina ipse exponit Acolastus. Culpam decoctæ crumenæ transcribit in Jovem. Porro certum est id facere, quod solent pigri, videlicet Ingenium exercere in auferendi casu.


## SCENA IV.

A sotus, gnatus Doxophanis, idem à re consumpta & Fide, clarus, vix ab ipsa Salute jam salvus est, qui toties Vitem, Vitam dixerat. Baccho ferem divinam sub hedera fecisse, dolet; at bilem omnem in Jovem. Mendicorum Musicam gnaviter addiscit.

## SCENA V.

Insanit Euclio, à gnato se ad usque incitas reductum. Spe tanta decidisse! Frustrà herclè verò se pauperem vixisse, ut dives inoreretur. Fabam hanc cudit in Jove, à quo ita philippeos numeros accepisset, eos ut servare non posset. Eò enim hepar in gnato suo, è spongino genere, Jovis versutià.

SCENA



## S C E N A VI.

Nobilis Doxophanes omnium in aures se instillari, videntem Jove, conniventemque, oppidò conqueritur. Laceffit Deum. Convitiis Euclyo magnum momentum addit. Nec jam facit modum Deucalion.

## S C E N A VII.

Hercules in scenam infertur, Gregem à fuga revocat. Pro se quisque mala affert, quorum culpa perpetuo spiritu in Jovem jactatur. At Hercules culpam absolvit Jovem. Usus Malum malorum omnium autorem esse ostendit. Jovem adversa secundis miscere, *virtuti exercenda ut locus sit*, quæ semper magno stetit. Suos labores recitat, & fidem facit. Ergo emotas mentes postquam sibi restituit, extemplò magnus Iupiter connubio se Pandoram cum Bono-Uso juncturum pollicetur. Mercurius jugales tædas Diis Deabusque singulis indicit.

*Chorus Gregis.*

Hymenæum officii admonet. Aurea sæcula post hoc connubium pro certo habet.

F I N I S.

